ciebas ergo cum diceres, OPTIMOS: nec ipſorum modo vita a te, ſed iudicium ſenatus comprobabatur, ornari qui ſe, non illos magis, quos laudabas, laetabatur.

Cap. LXXII. Nam quod precatus es, vt illa ipſa
ordinatio comitiorum BENE AC FELICITER EVENIRET
NOBIS, REIPVBLICAE, TIBI: nonne tale eſt, vt
nos hunc ordinem votorum conuertere debeamus?
deos denique obſecrare, vt omnia, quae facis, quaeque
facies, proſpere cedant TIBI, REIPVBLICAE, NOBIS?
vel, ſi breuius ſit optandum, vt VNI TIBI? in
quo et respublica et nos ſumus. Fuit tempus, ac ni- 2
mium diu fuit, quo alia aduerſa, alia ſecunda, Principi
et nobis: nunc communia tibi nobiſcum tam laeta,
quam triſtia: nec magis ſine te nos eſſe felices, quam

multo melius eſt vulgato, *ornareque ſe*, quod tuetur Geſner. qui *ſe* pro ablatiuo caſu habet, pendente a *magis*, hoc modo: Senatus laetabatur, candidatos, quos laudabat Traianus, *non magis ſe*, vel quam ſe, ornari, h. e. ſe aeque atque illos, illis laudibus ornari. Sed *magis* etiam poni ſolere, vbi non ſequitur *quam*, oſtendit Arnzen.

Cap. LXXII. Pro *nam* Hearne notauit legi etiam *iam*, idque magnopere placet Schw. ſed fruſtra. *Nam* enim non ſemper cauſſam antecedentis demonſtrat, ſed paſſim tranſitioni inſeruit, vt multis Cic. exemplis docet Manut. ad Diu: III, 1. V, 20. Ita et ſupra XXIII, 3. Cum igitur Noſter Cp. ſup. tranſierit per *iam*, hic merito praeferimus *nam*. *Ordinationem* Schwarz. refert cum Liuineio ad meliorem ordinem, in quem comitia a Traiano redacta, quia *ordinare* eſt id, quod turbatum eſt, in ordinem redigere, et quia Noſter III Ep. 20. talis reformationis mentionem facit. At ſi Traianus ante hanc orationem habitam comitiorum rationem emendaſſet, non dubium eſt, quin id Noſter pluribus fuiſſet amplificaturus. Contextus potius docet, celebrationem comitiorum eorundem, de quibus hactenus ſermo fuerat, et creationem magiſtratuum intelligi. Nempe tempore Caeſarum *ordinare* dici coepit tam de creatione magiſtratuum, quam de celebratione comitiorum, vt pluribus oſtendit Erneſti ad Sueton. Veſp. 23. Hinc et alii Imperatores *ordinaſſe comitia* leguntur, vt Tiberius Vellej. II, 124. et Vitellius Sueton. 11. In creatione autem magiſtratuum adhiberi ſolebat, iam tempore liberae reipublicae, talis *precandi* formula, vt patet e Cic. Mur. 1. *Vt ea res mihi magiſtratuique meo, populo plebique Romanae, bene atque feliciter eueniret.* Mox ab eodem vr. *ſollemnis comi-*